

vult, ante omnia requiri regulariter, Knipschild. *d. Jur. Civit. Imp. l. 2. c. 29. n. 2.* nec invito illo, aliquem ad domicilium constituendum admitti; licet enim Bald. *vol. 3. Conf. 310. n. 2.* Principis arbitrio an aliquis recipiens sit asserere videatur, tutius tamen meo quidem iudicio, hoc dispositioni Magistratus municipalis permititur, nec illi invito civis obtrudendus est. Quod si tamen Magistratus, nulla vel non justa causa existente, quemquam à Jure Civilitatis arcere, eumque, ne domicilium constituat, prohibere velit, iustitiam illius causæ Principem suæ cognitioni subjicere posse existimo, cum illius intersit Imperium suum accessione subditi augeri, idemque adjectione hominum potius quam pecuniarum copia locupletari, expeditat, *juxta L. 7. §. 3. ff. d. bon. damnat. Mev. ad Jus Lub. l. 1. tit. 2. art. 2. n. 57. in addit. Besold. d. Jur. univers. c. 8. n. 3.*

Ut ut autem hæc ipsa magis ad Jus Civilitatis impetrandum, quam ad constitutionem domicilii pertinere videantur, quæ duo tamen inter se differre, & sibi contradistingui haud obscure patet ex *L. 7. C. d. incol. Conf. Lauterbach. d. domic. c. 7. n. 159. & c. 8. n. 185.* cum non omnes qui domicilium in loco quodam constituerunt, Jus Civilitatis statim consequantur, quippe hoc jus qui habent, non tantum omnibus beneficiis ac juribus civitatis fruuntur; sed etiam vice versa omnibus à Civitate indictis oneribus, tam realibus, quam personalibus, obstringuntur, multi verò in civitate onera quidem sustinent, de omnibus tamen privilegiis ac juribus non participant. vid. Zahn. *ichnogr. Jur. Municip. c. 90.* multi etiam privilegiis quidem ac beneficiis gaudent, ab one-
ribus